

D. de curat. fur. 27, 10) et multa similia. Quae quidem singula, fateor, parum probant, coniuncta vero suum habent maxime ad refellendum momentum. Denique quae tunc erat urbis Romae auctoritas, legum patriae, imperii totiusque iurisprudentiae sedis, quis credat iuris consultum, qui tot insignibus libris ius civile illustravit, quique et Cassianum se profitetur et licet non a S. Pomponio Cassiano item 'Gaius noster' appellatus<sup>1</sup>, tamen controversiis scholarum, quae Romae tunc florebant, ita se interserit, ut eis et, dum scriberet, interfuisse videatur, non Romae, sed in aliquo provinciarum angulo abditum docuisse ac scripsisse?

Haec tamen ita disputata sunt, ut si quis Gaium natione Graecum et fortasse ex colonia aliqua in partibus orientis oriundum fuisse opinetur, quae olim A. Augustini et Fr. Connani fuit sententia, id equidem neque negare neque affirmare ausim. Non negare, quia probe scio iam illa aetate multos peregrinae originis viros summos honores et magnam etiam in iure civili auctoritatem Romae nactos esse, velut Cirtensis ille vir consularis ius publicum respondens, cuius nomen perit apud Front. ep. ad amic. 2, 10 (6). Sed nec affirmare; nam id, quod et illos viros partim movit, et quod multo magis in Mommseni disputatione veri quadam specie decipit, Graecam illam dico in Gaio conspicuam eruditionem et peregrinitatis curiosam observantiam, alia ratione contemplandum esse existimo. Quippe inde a Vespasiano et maxime sub Hadriano novam quasi speciem imperium Romanum induit. Multis enim coloniis in provincias deductis multisque ibi oppidis civitate Romana vel Latinitate, quibusdam etiam iure Italico donatis, Graecis vero quam illi opina-

1) L. 39 D. de stipul. serv. (45, 3), qui locus num ad Gaium nostrum spectet, nec potius ad C. Cassium Longinum, post disputata de hac re a G. M. Ashero in Zeitschr. f. Rechtsgesch. V p. 83 seq. ita mihi dubium esse factum fateor, ut ad posterius statuendum pronior sim. Prius tamen probat Guido Padelletti del nome di Gaio p. 7.